



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XXI. De Secundis Nuptiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

effit, (aut, cum de illa notoriè conflaret, expulsa est) à viro dotem repetere non valet; ad eam autem post adulterium marito divertenti tradendam uxorem, vel maritum adulterum ad eandem cum donatione propter nuptias ante sententiam iudicis uxori restituendam in conscientia obligari, non censeo cum Hostiensi in c. Porro 3. de Divortio n. 3. Covarruvia cit. §. 6. n. 1. & cit. Sanchez l. cit. n. 13. Ratio est; quia amissio dotis est pœna: ad quam ante sententiam iudicis exsolvendam, cum obligatio in conscientia non datur, arg. c. Cum secundum leges 19. de Heret. in 6. adulter Jure retentionis uti valet, donec ad faciendam restitutionem per sententiam compellatur.

59. Dubium est tertio, an semel amissa dos &c. recuperetur, si conjuges post divortii & privationis sententiam reconciliantur. Casu, quò reconciliationi adjicitur pactum; ut ex adulterio quæsitum jus innocenti salvum relinquatur, eam, sicut & donationem propter nuptias non recuperari, certum mihi videtur, non obstante l. Transigere 18. C. de Transact. quia, ut cit. Sanchez n. 22. advertit l. cit. circa crimen adulterii ea solummodo

transactio est interdicta, quâ uxor adultera marito spondet id, quoad hunc non pertinet: cujusmodi dos non est post adulterium & sententiam judicalem.

An autem recuperetur reconciliatio, factâ sine tali pacto, dubitandi ratio est; quòd per sententiam dos pleno jure transferit ad maritum: reconciliatio autem facta censei possit quoad solum thorum & mutuum cohabitationem.

Nihilominus, etiam tali casu dotem recuperari, cum Alex. de Nevo in c. Plerumque cit. n. 6. Angelo V. Adulterii n. 3. & Sylvestro q. cit. & aliis verisimilius defendit cit. Sanchez n. 21. id colligens ex c. Plerumque cit. textu, ab ejus amissione excipiente casum reconciliationis, non distinguendò, an ista ante, vel post sententiam sit facta. Ratio est; quia tali reconciliatione, si aliud non exprimitur, censetur conjux restitui in statum pristinum, in quo ante adulterium fuit; quia reconciliatio sive remissio in delictis est favorabilis; est enim liberatio à pœna quæ, quia odiosa est, eam remittens reconciliatio favorabilis erit & extendenda, ut rectè notat Dynus in Reg. Odia 15. in 6. à num. 2.



## TITVLVS XXI.

### De Secundis Nuptiis.

**R**imis dissolutis, plerumque transitur ad nuptias secundas: quarum eadem, quæ primarum causæ, iidemque effectus sunt & impedimenta, exceptò Ligamine

seu matrimonii antè initi vinculo: cujus proinde dissoluti certitudinem, & secundarum Nuptiarum pœnas, spectantes textus ad hanc Rubricam sunt declarandi,

ARTICL.



## ARTICULUS I.

## De his prævia Certitudine Obitus Conjugis prioris.

## SUMMARIUM.

1. Etiam Christianis licita sunt Nuptia secunda,
2. Et ulteriores :
3. Quæ tamen non benedicuntur.
4. Ante conjugis obitum aliquando permittuntur Romanâ,
5. Non etiam Christianâ lege,
6. Exigente certitudinem de conjugis obitu :
7. Quem certum reddit Magistratus,
8. Et Parochi testimonium :
9. Uti & depositio duorum testium de visu,
10. Et unius cum fama publica :
11. Non hæc, aut depositio unius sola :
12. Nisi obitus acciderit in loco valde remoto,
13. Vel alia adminicula concurrant.
14. Mulier, cum dubio de mariti obitu nubens alteri, huic reddit :
15. Non ab eo exigit debitum conjugale.
16. Si dubium non leve, sed rationabile fuit.
17. Si dubitavit uterque, conjugij usui illicitus utriusque :
18. Et utriusque licitus est, si dubium matrimonio inito supervenit.
19. Idem utriusque illicitus est, si alterius conjugem vivere,
20. Aut nuptiarum tempore vixisse, uni certò constet :
21. Nisi illas novo consensu ratificaverint.
22. Proles tamen antè suscepta legitima sunt.

**S**ecundas Nuptias, imò tertias, quartas & quotiescunque, priori conjugis vitâ functò, iteratas, Christianis permittas, Catholica veritas est; patetque imprimis ex *can. Aperiant 10. can. Deus 11. can. fm. Sc. 31. q. 1.* quorum textuum primò relatus S. Hieronymus, *Liberâ* inquit, *voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam & ita licere quinto & sexto & ultra, quomodo & secundo marito nubere.* Dein ex Conciliis, Niceno *can. 8.* à Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus exigente communicationem cum iis, qui ad secundas nuptias transferunt: Carthaginensi *IV. can. 11.* iterata matrimonia damnantes ad consecrationem Episcopalem non admittente: & Florentino in Armenorum instructione secundas & ulteriores nuptias approbante. Tertio ex Testimonio Apostoli *1. Corinth. cap. 7. V. 39.* de muliere, dicentis, *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat:* quò locò cum Apostolus non dicat vir primus vel secundus vel quartus, neque nobis id definiendum erit, S. Augustinus *can. fm. cit.* Et demum ex antiquissima & universali consuetudine Ecclesiæ, ejusmodi nuptias approbantis; cum enim primæ conjugis morte sint dissolutæ, ad secundas transituro nullum obstat impedimentum, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 81. n. 2.*

Neque, hujusmodi nuptias esse inhonestas, aut Sacramentum non esse, existimantium erroneæ persuasioni patrocinatur; quòd ab Ecclesia eis benedictio denegetur, *c. 1. & c. Vir autem 3.* quia istius iterationem prohibendi alia, eaque præcipua ratio fuit; quòd in eis deficiat plena significatio Sacramenti; cum enim iis unus vel non unicæ, vel non virgini & ab alio intactæ copuletur, Christi cum Ecclesiâ, unicæ eaque immaculatâ sponsâ, conjugationem perfectè non repræsentant; atque

F f f

idcirco,



idcirco, sicut non eandem, quam primæ merentur commendationem, sic non celebrantur eadem, quæ istæ, sollemnitate, & non adhibitâ benedictione: quæ in eadem persona iterari aliàs non consuevit, S. Thomas in 4. dist. 42. q. 3. art. 3. Turrecremata in can. fin. 31. q. 1. & DD. alii apud Gonzalez in c. 1. cit. num. 9. & 10. Qua de re sermo redibit n. 28. Unde

4. Non leve, & Martiali hõc seculò valde prædicum dubium oritur, quomodo v.g. uxori constare debeat de obitu mariti; ut ad aliud conjugium valeat transire. Jure quidem Civili de mariti absentis vita dubitanti post quinquennium, l. Uxore 6. ff. de Divort. imò Imperiali constitutione post quadriennium, l. Uxor 7. C. de Repud. novæ nuptiæ sunt concessæ. Quæ tamen leges eòdem, sed recentiori Jure correctæ sunt ab Imp. Justiniano, ad novas nuptias transitum non, nisi certâ formâ observatâ, permittente, Aurb. Hodie
5. C. de Repud. & Novell. 117. cap. 11. Sed huic etiam Imperialis Juris dispositioni functionibus Ecclesiasticis derogatum, patet ex c. In presentia 19. de Sponsal. & c. Dominus 2. hæc Rubr. quibus aliisque textibus mortis quidem nuntius sive probatio certa exigitur: ea tamen ad formam, Aurb. & cap. 11. cit. præscriptam, nullatenus restringitur, ut in Aurb. cit. Barbofa in can. cit. n. 4. Panormit. n. 6. & Alex. de Nevo n. 8. advertunt. Imò Ant. de Butrio in c. cit. n. 7. Anchoranus ibid. n. 6. & quidam alii, à Jure etiam Canonico majorem certitudinem non exigunt, quàm ut ad secunda vota transurus conjux v.g. uxor habeat probabilem causam credendi mortuum maritum. Quam suam Opinione fundant in can. Cum per bellicam 34. q. 2. ubi à culpa excusatur contrahens cum muliere, cujus maritus jam non esse existimabatur: & in c. fin. §. Porro, Ut

lite non contest. cujus palmaris textus est, Tandem alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter, hoc est, probabiliter presumatur. Ratio est; quia operans juxta Opinionem probabilem prudenter operari existimatur.

Sed meritò Glosa in c. In presentia 6. cit. in fine, Panormit. n. 6. Alex. de Nevo n. 22. Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 3. & aliis relatis Sanchez Lib. 2. disp. 46. n. 6. certitudinem moralem exigunt; ut mulier ad novas nuptias transire permittatur; propter claros textus c. cit. de morte conjugis certum nuntium existentis, & c. Dominus cit. ubi hac super re consultus Lucius III. Christianis in captivitate Sacracenorum positis referens, id vobis, inquit, respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare presumat, donec ei, quòd ab hac vita migravit conjux ejus, constet, per certum nuntium, juxta c. In presentia cit. & Glosam in relati textus V. Constet. Unde conruit ratio deducta in contrarium.

Non majorem vim habet textus can. Cum per bellicam cit. quia eum de existimatione mortis, quæ per certum nuntium, juxta c. In presentia cit. aut alias probationes æquivalentes habetur, intelligendum, cum cit. Sanchez n. 9. advertit Barbofa in can. cit. n. 4.

Magis in speciem, re ipsa minus urget §. Porro cit. textus; quia imprimis, sicut can. cit. sic etiam §. hmo de verisimilitudine, certitudinem moralem fundante, accipiendum, iidem volunt. Deinde; quia §. illo non agitur de casu, quò, an matrimonium, quòd validum fuisse extra controversiam est, per unius conjugis mortem dissolutum sit, dubitatur: sed de eo, quò lis de matrimonii valore est, propter impedimentum dirimens allegatum: qui casus à priori omnino est diversus; etsi enim posteriori hõc casu, ut

conjux



Conjux præfens ad alias nuptias transire permittatur, sufficit verifimilitudo sive probabilitas de obitu absentis, juxta §. Porro cit. priori tamen de conjugis obitu necessaria est certitudo moralis, c. In præsentia & c. Dominus cit., quia agitur de maximo præjudicio, scilicet matrimonii legitime contracti dissolutione: ad quam, propter majus periculum scandali, irreverentiæ Sacramenti &c. majorem quam priori casu certitudinem exigi, cum Panormit. in §. Porro cit. n. 12. advertit Laiman. Lib. 5. Tract. 10. p. & cap. 3. num. 2. in fine.

7. Porro, licet uxorem casu, quò de mariti obitu moraliter certò constat, ad secunda vota transire sive aliud conjugium inire posse, plerique concedant cum Gutierrez Practic. Lib. 2. g. 8. in fine, & Laiman. cit. cap. 3. n. 1. in dubio tamen de hujusmodi certitudine pronuntiare, est judicis Ecclesiastici Ordinarii, ut idem cit. n. 1. docet cum Panormit. in c. In præsentia cit. n. 6. qui, maritum moraliter certò è vivis excessisse, judicabit

Primò, si de ejus obitu legitimus Magistratus Ecclesiasticus, Politicus, Militaris: vel Notarius aut alia similis persona publicà auctoritate constituta fidem faciat per scripturam, juxta tradita à Mascardo de Probat. conclus. 1101. n. 5.

8. Secundò, si, eum à se sepultum, testetur Parochus; quia est quasi Notarius publicus in ejusmodi negotiis; & propterea ejus liber sive Regestum in quæstionibus de Baptismo, ætate, nuptiis & similibus plenam fidem facit, secundum Menoch. Lib. 1. Præsumpt. 51. à n. 53. & cit. Mascard. conclus. 673. à n. 1.

9. Tertio, si de ejus obitu deponant duo testes de visu; quia regulariter duo testes sufficiunt ad plenam fidem faciendam, per l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus indeque desumptum can. Si testes 3. §.

Ubi numerus 4. g. 2. can. In omni 4. de Test. & attest. &c. & ipsum Jus Divinum, Deuteron. cap. 17. v. 6. & Matth. cap. 18. v. 16. De visu autem testis hac in re censetur non solum, qui eum morientem aut mortuum vidit: sed etiam, qui ejus sepultura, exequiis, Septimo, Tricesimo, Anniversario interfuit, aut vidit ejus sepulchrum, vel consanguineos pullà veste eum lugentes, audivitque talem maritum lugeri, sepultum esse &c. Menoch. Adipise. possess. remed. 4. à n. 674. cit. Mascardus conclus. 1075. à n. 2. & Gobat Experiens. Tract. 9. n. 312. Etsi verò etiam consanguineos ad testimonium de alicujus obitu perhibendum admittant Menoch. & Mascard l. cit. uxorem tamen ejus, cujus mors probanda est, non admittendam, meritò censuit cit. Gobat n. 310. quia in propria causa nemo idoneus testis est, l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testibus: esse autè hanc causam propriam mulieris, patet: quia ex una, propria alicujus causa censetur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, l. 1. §. 1. ff. Quando appell. fit. Glossa in can. Si testes cit. V. Sua: ex altera verò parte, de uxoris emolumento vel damno agi, palam est; cum plerumque de maritorum obitu uxores ideò solum deponant; ut sibi potestas fiat cum alio matrimonium ineundi.

10. Quartò, si cum uno teste de visu, aut cum fama vel pluribus testibus de auditu concurrant alia verifimilia mortis indicia vel conjectura, v.g. quòd marit⁹ jam senex aut æger, cum posset & fortassis promississet, non redierit: vel; quòd bellum secutus, periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis grassabatur, moratus, in quibus hostili ferrò, naufragio, epidemicà lue multos periisse constat, diu non comparuerit: vel, si testes de fama asserant, id publicè vel à majori &



digniori parte civitatis, oppidi, legionis auditum, ut, aliis relatis, sentire viderur Hieron. Prævidell. *Tract. de Peste* §. *Unum quod hic à n. 1.* Unde ulterius

11. Dubium nascitur, an mortem moraliter certam faciat testimonium unius, vel sola fama. Unius, sed idonei testis depositione certam reddi, cum Hostiensis in *c. In presentia cit. in fine*, & Panormit. in *c. cit. n. 6.* existimat Farinac. *Prax. Criminal. q. 140. n. 73.* permotus textu *c. cit.* plus non exigentis, quam nuntium certum, quem unius testis depositione juratâ haberi vult. Contrâ cum Bartolo in *l. Tabularum 2. §. 4. ff. de Test. quemadm. aper. n. 1.* negat Sanchez *cit. Lib. 2. disp. 46. n. 12.* quòd de Jure *Vox unius sit Vox nullius*, hoc est, non habeat plenam vim probandi, *c. Veniens 10. in fine*, & *l. Jurisjurandi 9. C. de Testibus*. Quas sententias Gutierrez *de Matrimon. cap. 51. n. 2.* in concordiam ita reducit; ut, licet unius, etiam fide digni hominis, testimonio mors sufficienter non probetur, ea tamen moraliter certa reddatur, quando cum ejus depositione aliqua ex relatis aut similibus circumstantiis & conjecturis concurrunt.

Neque huic earum conciliationi adversatur; quòd *c. In presentia cit.* textus *Certum nuntium* exigat in numero singulari; quia hæc vox *Nuntium* non masculini, sed neutrius generis est: & certam de morte relationem, non personam tabellarii significat; hic enim, si unicus est, nuntium, sive relationem certam facere non potest, ut rectè advertit *cit. Sanchez n. 11.* qui tamen excipit casum, quò conjugis obitus accidisse dicitur in loco valde distante, ut certa ejus probatio omnino, aut facile nequeat haberi; tali enim casu unius probatæ fidei testis juratam depositionem, ut alteri conjugi transitus ad secunda vota permittatur, sufficere existimat;

quòd, cum plenæ & integræ probationes haberi non possunt, sufficiant, quæ delinuntur ex conjecturis, *l. Non omnes 5. §. 6. ff. de Re militari*.

13. Extra hunc casum, sicut unius testimonium, sic etiam sola fama non sufficit ad secundas nuptias permittendas; cum enim illa incertum, & sæpissimè fallacem authorem soleat habere, plenam & certam probationem regulariter non facit, Mascard. *de Probat. conclus. 754. à n. 1.*

Si autem cum fama coniugis diuturna absentia, senectus, infirmitas, grave vite periculum sive occasio, in qua illum verlatum & plurimos interisse constat, aliæve similia adminicula concurrant: eamque à fide dignis hominibus ortam, & in loco, in quo mortuus esse perhibetur, aut in eius vicinia vulgatam esse, duorum omni exceptione maiorum, eamque prævera habentium testimonium depositionibus probetur: si, inquam, ista concurrant, de obitu moraliter certò constare, & ad secundas nuptias transitum permitti posse, cum satis multis aliis DD. concedit idem Sanchez *à n. 15.* eumque secutus Gobat *cit. Tract. 9. n. 320.* cum *n. 316.* ex communi aliorum sensu monuisset, hac in re prudentiæ & arbitrio iudicis plurimum tribuendum.

14. Dubium tertio est de usu coniugii contracti sine morali certitudine & cum dubio de obitu coniugis prioris. Istò enim stante, illius usum per conjugalis debiti executionem & redditionem neutri permittitur, primò intuitu suadet Regulare illud: *In dubiis tutior via eligenda est, c. Juvenis 3. de Sponsal. & Matrim. c. Ad audientiam 12. de Homicid. & c. Illud 5. de Clerico excom. ministr.* ab eiusmodi autem coniugii usu abstinere tutius & à peccandi periculo remotius esse, extra omne dubium est.

Sed Regulari illi dogmati prævalet decisio



Cecilio I. III, cuius ad Christianos, à Sarracenis in Hispania captivitate detentus, c. Dominus 2, relatum rescriptum est, Si aliquis vel aliqua, matrimonio sine prædicta certitudine contracto, de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non denegeri postulanti, quod à se tamen non veris nullatenus exigendum. Quod si post hæc priorum conjugem adhuc vivere, confiterit, relicti adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur: Cuius Apostolici rescripti vigore

15. Primò, si cum dubio de obitu conjugis prioris unus tantum contraxit, eò dubio perseverante, debiti exactio ei duntaxat, qui suum vel alterius conjugem mortuum, bona fide existimavit: ei verò, qui cum dubio contraxit, sola illius redditio permessa est c. cit. & c. Inquisitioni 44. de Sent. excom. Ratio est; quòd, cum hoc casu in conjugii jurisque conjugalibus bona fidei possessione unus tantum sit, vi hujusmodi possessionis competens debiti exactio uni tantum sit permessa, arg. l. Bone 48. pr. ff. de Acquir. rer. dom. & Reg. in pari 65. in 6. alter verò, licet, permanente rationabili dubio, illius exigendi jure tanquam mala fidei possessor careat, consorti tamen illud postulanti reddere teneatur; ne eum conjugii, bona fide initi, possessione & ratione istius competente uti indebitè privet, pr. & V. fin. cit. & c. Discretionem 6. de Eo, qui cognovit, Sanchez Lib. 2. de Matrim. disp. 42. n. 2. Palao Tract. 28. disp. 3. p. 7. §. 2 n. 6. & Gobat Experient. Tract. 10. n. 644.

16. Si dubium de prioris conjugis obitu non rationabile, sed leve ac temerarium esset; quòd, illum adhuc esse superstitem, verisimile ac probabile indicium post moralem diligentiam adhibitam non appareat, sic dubitanti ipsam etiam de-

biti exactioem licitam, liquet ex c. Inquisitione cit. & In secundo. Post diligentiam, inquam, adhibitam; quia sine omni veritatis investigatione debitum exigendò se exponeret periculo peccandi: quod tamen non sit debitum exigenti etiam ante investigationem reddendò; quia istius de valore non ambigentis certum jus prævalet juri dubio reddentis, c. Dominus cit.

17. Secundò, si cum rationabili dubio de obitu matrimonium iniiit conjux uterque, debiti exactio & redditio neutri est permessa; quòd conjugii possessionem uterque inchoarit mala fide: quâ inchoata possessio cum non suffragetur, juris conjugalium ulum tribuere non potest, arg. can. Si virgo 34. q. 1. & l. Bone cit. §. 1. cit. Sanchez n. 7. Palao n. 6. & Gobat n. 644. donec, dubio depositò, rationabiliter judicent, prioris conjugii consortem decessisse, antequam posterius inirent. Perez de Matrim. disp. 53. f. 2. n. 4.

18. Tertio, si, matrimonio ab utroque bona fide contractò, de prioris conjugis morte dubium utrique vel alteri tantum superveniat, debiti exactio & redditio utrique est permessa; quòd, cum bona fidei possessio rei sic possessæ liberum usum tribuat, l. Bone pr. & Reg. in pari cit. in dubio quoad conjugii usum suffragetur etiam iis, à quibus id bona fide est contractum, cit. Sanchez disp. 41. n. 42. & Perez f. 3. n. 9. qui tamen & cum eis Gobat n. 642. excipiunt casum, quò conjux ita dubitans probabile motum haberet judicandi, priorem conjugem adhuc esse superstitem; quòd, eum post initum posterius matrimonium à se visum, unus testis fide dignus asseruerit: contra, eum antè decessisse, probabile motivum non haberet, aut, quòd habebat, esset enervatum; tali enim casu ei debiti, exactioe inhibita, sola redditio esset



tio esset permilla, *c. Inquisitioni cit.* cuius *V. fin.* Innocentius III. de ita dubio rescribens ait, *Cum conscientia pulsat animum ex credulitate impedimenti probabili ac discreta, debitum quidem reddere, sed postulare non debet: & rationem utriusque reddit; ne debitum postulanti denegandò Contra legē conjugii, & id postulandò contra iudicium conscientie committat offensam.*

Neque, hoc & primò etiam casu generaliter à debiti exactione & redditione abstinendum, evincit Regula de tutiori via eligenda; quia hæc exaudienda est de dubio practico, an debiti redditiō vel exactiō hic & nunc licita sit, non de merè speculativo, an persona, cui redditur, verè sit conjux, quale duntaxat dubium hoc casu est; cum matrimonii bona fide contracti usum, dubiò de prioris conjugis obitu superveniente, & post adhibitam diligentiam perseverante, licitum esse, exploratum sit non solum *arg. l. Bona & Reg. in pari cit.* sed etiam ex decisione *c. Inquisitioni cit.* laudati Sanchez *disp. 44. n. 3. Palao §. 9. n. 3. Perez f. 3. n. 7. & Gobat n. 645.*

19. Quartò, quodcumque, matrimonii etiam optima fide initò, eò conjunctorum unus priorem, suum vel alterius conjugem adhuc esse superstitem, moraliter certò intelligit, illico abstinere tenetur ab omni commercio carnali cum consorte matrimonii posterioris: etiamsi ligaminis necdum dissoluti impedimentum & ex isto proveniente conjugii nullitatem probare nequeat, & ad debiti redditionem cuiuscunque mali comminatione compellatur, *can. Cum per bellicam 1. in fine, 3. q. 1. c. Dominus & c. Inquisitioni pr. cit.* Ratio est; quòd, cum prioris conjugii consummati vinculum non nisi alterius morte solvi possit, *Matth. cap. 19. v. 6. & 1. Corinth. cap.*

*7. v. 39.* priori conjuge superstite, postèrius matrimonium invalidum, *c. 1. c. Accepisti 2. & c. de Sponsa duor.* eòque conjunctorum carnale commercium intrinsecè malum, fornicarium & illicitum sit, *c. Literas 13. §. Porro, de Restit. Spoliat. & Clement. fin. V. Septimò, de Hereticis.* Quare tali casu is, qui vinculi cum priori adhuc constantis certam notitiam habet, fugà se subducere, vel omnia mala & ipsam etiam excommunicationem humiliter sustinere potius debet, quàm debitum reddendò peccatum mortale operari, *§. Porro & pr. cit.* Sanchez *disp. 39. n. 50. Palao n. 3. Perez f. 1. n. 5. & Gobat n. 637.*

20. Quintò, si conjugum uni, priorem suum vel alterius conjugem jam quidem mortuum, tempore tamen contracti matrimonii posterioris adhuc superstite fuisset, certò innotescat, debitum à conjuge matrimonii posterioris exigere & exigenti reddere nequit, antequàm posterius hoc matrimonium consensu per verba de presentibus ab utroque renovatò ratificatum, seu de novo contractum sit, ut Juris omnino certi & ratio clara est; quòd cum posterius matrimonium, priori conjuge adhuc superstite initum, propter ligaminis impedimentum necdum sublatum, fuerit invalidum, *c. 1. c. Accepisti cit. 21.* ut, impedimentò per prioris conjugis obitum sublatò, secundò matrimonio invalidè copulati veri conjuges evadant, positò novò mutuoque consensu inter eos ante initum ratificari, seu de novo contrahi, necesse sit, ex mente D. Thomæ *in 4. dist. 40. q. unic. art. 4. & DD. aliorum, ut Tit. 16. à n. 170. est declaratum.*

21. Sextò, utroque tamen hoc casu, secundò matrimonii, in Ecclesiæ facie præviis denuntiationibus initi, nullitate detectà, ex eo procreatæ proles in utroque foro legitimæ sunt, propter bonam fidem u-



hæm utriusque, vel saltem alterius parentis, cum impedimenti ignorantia matrimonium contrahentis: cuius bonam potius quam alterius malam fidem quoad prolium legitimitatem attendi, favore liberorum Jura voluerunt, *c. Cum inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui fil legit.* ad quam Rubric. hac de re ex instituto actum est n. 7.

## ARTICULUS II.

## De Nuptiarum Benedictione &amp; Iteratione.

## SUMMARIUM.

23. Nuptia benedicuntur propter dignitatem Sacramenti &c.
24. Et sponsis, delegatione seclusâ, à proprio parochi,
25. Eoque sacerdoti initiato impendantur.
26. Gravi, non tamen omni culpâ vacat benedictionum omisso,
27. Et susceptio post matrimonii consummationem.
28. De Jure non iterantur, quoties eas sponforum alter recepit.
29. Consuetudine iterantur, quoties eas alter non recepit.
30. Sacerdotis, eas in casu non licito impendentis, pœne.
23. **H**Arum nomine veniunt ceremoniæ & preces sacre atque oblationes in solennitate nuptiarum adhiberi solite, *can. 1. pr. 30. q. 5.* cum propter dignitatem Sacramenti: tum; ut ad sobolis procreationem ordinati actus conjugales debito sine modoque peragantur: quarum usus cum ad ipsius Domini Dei, humani ge-

neris Protoparentes in voluptatis adhuc innocentis Paradiso benedictis, exemplum in Ecclesia introductus, & usu antiquissimo receptus sit, adversus Novatores ejus impugnatores à S. Synodo Tridentina vindicatur *Sess. 24. de Sacram. Matrim.* cujus Canon. XI. est, *Si quis dixerit &c. aut nuptiarum benedictiones & alias caremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; Anathema sit.*

Sicut autem novissimò hujus S. Synodi Jure nuptiæ non nisi coram proprio alterius contrahentium parochi vel alio sacerdote de Ordinarii vel parochi licentia celebrandæ, juxta dicta *Tit. 3. a n. 20.* sic etiam nuptiales benedictiones ab iisduntaxat impendendæ sunt aded; ut, *Si quis parochus vel alius sacerdos sive Regularis sive Secularis alterius parochia sponfos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tam diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat seu, à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur, nihil ei patrocinante consuetudine etiam immemoriali vel privilegio alterius, à quo conjugia solennizandi licentiam accepit, Sess. cit. cap. 1. §. Quod si quis, de Ref. marrim.* quò decretò à suspensione triennali, juxta *c. fin. §. fin. de Clandest. despons.* per sententiam infligenda, recessum eaque inflicta est à Jure; ut hodie ipsò factò contrahatur, & ad arbitrium Episcopi, durationis tempus extendentis vel constringentis liget, ut cum Majolo *Lib. 3. de Irregularit. cap. 25. n. 12.* observat Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 48. n. 6.* qui, licet à sacerdote Regulari, alienæ parochiæ sponforum matrimonia sine proprii parochi licentia solennizante, excommunicacionem, *Clement. 1. de Privileg.* latam, etiam hodie incurri, censeat, à censura tamen suspensionis



sponſionis Jure lata ignorantem excuſari, docet: dummodo ignorantia ita craſſa non ſit, ut à temeritate non excuſet; quòd S. Synodus utatur verbis, *Auſus fuerit*, denotantibus temeritatem.

25. Quantumvis autem contrahentium alterius proprius parochus ipſorum matrimonii aſſiſtere & nuptialem benedictionem alteri ſacerdoti committere valeat, etiamſi ſacerdos non ſit, juxta dicta *Tit. 3. n. 53.* illis tamen benedicere ipſe nequit, niſi ſacerdotali Ordine ſit initiatus; quia nuptialis benedictio actus eſt Ordinis ſacerdotalis, ſponſis inter Miſſarum ſolemnia impendendus, *Barboſa in Trident. cap. 1. cit. n. 151.*

Eaſdem benedictiones in Eccleſia, & non quovis anni tempore ſaltem cum ſolemnitate impertiendas, *Tit. 16. à n. 27.* eſt dictum.

26. Dubium nunc eſt primò de nuptialium benedictionum neceſſitate. Et eas quidem ad conjugii valorem minimè neceſſarias eſſe, convenit inter *DD. can. 1. pr. 30. q. 5.* quòd abſque eis conjugium legitimum eſſe, negatur, ſic accipientes; ut benedictio ad plenum nuptiarum decorem ſeu ſolemnitatem Eccleſiaſticam, non ad ſubſtantiam, pertineat.

Diſſentiunt autem de conjugii, illis prætermiſſis, initi honeſtate. Quidam enim cum Waldenſi *de Sacram. cap. 133. n. 3.* earum omiſſionem graviter peccaminofam: alii ab omni culpa immunem eſſe, volunt cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 83.* Illi ducuntur *can. 1. cit. can. Nullus 2. & can. Sponſus 5. q. cit.* quibus benedictiones nuptiales ſeriò præcipiuntur. Iſti decretò Concilii Trident. ſponſos ad earum receptionem ſolummodo hortantis *cap. 1. cit. §. Præterea.* Veriùs mediam viam tenent alii: & benedictionum omiſſionem, ſicut gravi, ſic non omni, culpà vacare, exiſti-

mant, cum Soto *in 4. diſt. 28. q. & art. 2. §. Poſtrema*, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. diſp. 82. n. 6.* & Perez *diſp. 43. de Matrim. f. 10. num. 4.* quòd non Sacramentum, ſed Sacramentale duntaxat & minoris momenti ſint, quàm Sacramentalia, ex Eccleſiæ præſcripto præmitti ſolita Baptiſmo. Conſentit Gobat, qui licet pro benedictionum nuptialium retentione fortiter pugnandum, aſſerat; quòd ſine aliquo fidelium ſcandalo vix poſſint prætermitti; atque idcirco fideles ad earum receptionem ſoleant compelli, omiſſionem tamen à gravi culpa abſolvit *Experient. Tract. 10 n. 562.* quòd non ſint res gravis: & de gravi obligatione, fideles ad earum receptionem urgente, non ſatis conſtet; cum in earum omiſſione culpam non agnoverit Nicolaus I. *can. Noſtrates 3. q. 1. cit.* & receptionem Tridentinum verbis, gravem obligationem non importantibus, ſolum commendat *cap. 1. §. Præterea cit.* Unde

Inferitur, non ab omni quidem, à 27. gravi tamen noxa immunem eſſe matrimonii conſummationem ante benedictionis receptionem; quòd ita legitimum conjugii uſus aliquò modò antevertatur contra intentionem Eccleſiæ, conjuges, ne ante benedictionem ſacerdotalem in eadem domo cohabitent, hortantis, §. *Præterea cit.* non graviter præcipientis, *cit. Sanchez n. 6. Perez n. 7. & Gobat n. 562.*

Dubium ſecundò eſt, an benedictio ſacerdotalis adhiberi etiam debeat aut valeat in nuptiis ſecundis. Qua in re variè ſentiunt *DD.* Quidam enim benedictionem hujusmodi nuptiis, ſi juſta ſint, perinde ut primis ſemper impertiendam, volunt, & Jura, eam adhiberi ventantia, exaudiunt de ſecundis nuptiis initis, dum primæ conſtant. Alii illam, etiam, cum ſecundæ juſta ſunt, generaliter ve-



Iter vetitam, ajuat, ducti generalitate *c. 1. & c. Vir autem 3.* Quidam eam in solis nuptiis ex parte utriusque aut saltem ex parte foeminae secundis non admittunt; propter defectum significationis Sacramenti in huiusmodi nuptiis repertum, ut videre est apud *cit. Sanchez à n. 11. qui n. 15.* benedictionis solam iterationem Jure vetitam, censet; ut quoties in primis sive uterque sive alter tantum sponsus illam iam recepit, adhiberi nequeat in secundis. Moventur *c. Vir autem cit. relatò Urbani III. rescriptò, Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens non debet à presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sunt, eorum benedictio iterari non debet: quibus verbis cavetur; ne benedictio in utroque vel altero in primis nuptiis jam recepta repetatur; cum enim neuter absque altero benedici valeat, in unum collata benedictio in altero contra veterem morem Ecclesiae (sicut Abbatum, Abbatissarum, Virginum, sic & conjugum benedictionem non repentis) iteratur. Unde secundarum nuptiarum benedictio inhibita fuit, quoties ea sponzorum uni impensa jam fuit.*

Neque ita periculum est, ne alter careat omni benedictione; quia uni jam impensa alteri communicatur, Panorm. in *c. Vir autem cit. n. 3. ubi Alexand. de Nevo n. 4. Fagnanus n. 6. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 13.*

29. Sed licet hæc de Jure ita sint, ex consuetudine tamen benedictio Sacerdotalis secundis nuptiis passim impenditur, quoties ea à sponsa, & alicubi etiam à sponso, antè recepta non fuit; ut eò solum casu omittatur, quò ea ante recepta jam fuit ab utroque, *cit. Perez n. 2. Gobat n. 564. & Pirring n. 15.*

30. Dubium tertio est de pœna sacerdotis, secundò nubentibus benedictionem in casu prohibito impendentis. Ratio

dubitandi est; quòd hoc ausus sacerdos ab officio & beneficio suspendi & pro absolutione ad sedem Apostolicam remitti iustus sit *c. 1. cit.* Unde huiusmodi suspensionem per sententiam quidem infligendam, sed, postquam inflicta est, reservatam & illius pœnam ordinariam esse, existimant Sylvester *V. Nuptia q. 1. Clarus §. fin. q. 75. n. 2. & Paludanus in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. n. 8.* Sed melius cum *cit. Panormit. n. 5. Alex. de Nevo n. 5. & aliis hoc negant Menoch. de Arbitr. casu 417. n. 8. Bern. Diaz Practic. cap. 74. n. 2. & cit. Sanchez n. 30.* quòd commensurata non sit delicto; cum secundis nuptiis legitime initis benedictionem impertientis delictum, scandalò & similibus circumstantiis seclusis, non videatur grave; ejusmodi autem suspensionis reservatæ pœna gravis sit; ac proinde ob secundarum nuptiarum benedictionem regulariter nequeat infligi: & *c. 1. cit.* inflicta sacerdoti sit vel; quòd secundis nuptiis benedictionem impertiverit ante primarum dissolutionem: vel propter speciales circumstantias delictum aggravantes. Unde DD. *cit. sacerdotis, eò, de quo agimus, casu nuptias benedicientis punitionem arbitrio judicis, eam pro circumstantiarum varietate temperantis, permittunt.*

### ARTICULUS III.

## De Secundarum Nuptiarum Pœnis.

### SUMMARIUM.

31. Vidua, secundò nubens, Jure Civili variè punitur.  
 32. Amittit proprietatem sibi restitutorum à primo viro.  
 G g g 33. Secun-



33. *Secundo plus, quam uni liberorum, non relinquit.*  
 34. *Amittit tutelam liberorum,*  
 35. *Eorumque educationem,*  
 36. *Cum privilegio honoris viri defuncti.*  
 37. *Qua locum habent etiam de Jure Canonico.*  
 38. *Nubens intra annum luctus sit infamis,*  
 39. *Plus parte tertia bonorum in maritum non transfert,*  
 40. *Non consequitur ab alio sibi relicta ultimam voluntate,*  
 41. *A viro defuncto in se collata amit- tit,*  
 42. *Et intestatis consanguineis ultra tertium gradum non succedit.*  
 43. *Ex quibus penis infamia sublata est Jure Canonico:*  
 44. *Quod ceteras penas intestas, aliqui volunt.*  
 45. *Melius, eas quoque sublatas, alii as- firmant;*  
 46. *Quod eas afficiat juris ratio,*  
 47. *Etsi textu sola infamia expri- matur.*

31. **C**onjuge vitâ functo, nuptiæ à superstitite iterari Jure quidem per- mittuntur: at minus quam prima commendantur, *can. De illis 7. Ec. q. 1. &*, si ita festinata sint; ut intra luctus annum, à die obitus vi- ri prioris computandum, eumque non decimestrem tantum seu Lunarem, ut olim *arg. l. Liberorum 11. §. ff. de Hæ, qui infam. not.* sed integrum seu plenam mentium exactorum dodecade constan- tem, *l. Si qua 2. C. de Secund. nupt.* à vidua ineantur, plurimum exorsæ, & obno- xia sunt Jure Imperiali constitutis variis pœnis: quarum tamen non omnes finem eundem, sed quædam liberorum, ex

priori matrimonio susceptorum, duntaxat favorem & utilitatem; alia verò præ- maturi & inconsulti ad secunda vota tran- situs odium ac punitionem spectant.

Prioris thori liberorum favore Pri- 30  
 mò vidua, etiam post annum luctus, ad secundas nuptias transiens, amittit prop- rietatem, omnium bonorum, quæ sponsalium, nuptiarum, mortis cau- sâ donationis, institutionis, legati, fideicommissi titulo à priori viro conse- cuta est: quorum proin, proprietate prioris matrimonii liberis reservata, ipsa usufructum duntaxat habet, *l. Famine 3. l. Hæc Edictali 6. §. 1. C. hæc Rubric.* Eadem mariti ratio est; nam & is, si se- cundam ducat, eorum, quæ demortuæ uxoris liberalitate accepit, proprietatem reservare tenetur liberis, ex ea procreatis, *l. Generaliter 5. pr. §. 1. C. Rubr. cit. & Novell. 22. cap. 23.* quia favor libe- rorum æquè in patre ac matre procedit, Bartol. in *l. Femina cit. pr. n. 2.* Ancho- ranus in *c. fin. n. 8.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 9. n. 7.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 89. n. 10.*

Secundò, eadem mulier viro super- 31  
 stes, susceptis ex eo liberis, secundas nuptias contrahens ex bonis suis secundo conjugii ullò titulo, sive inter vivos sive ultimam voluntate, relinquere plus non potest, quam uni ex liberis prioris ma- trimonii: & si hi non æquis portionibus instituti sint, quam illi, cui minimum, non tamen minus legitimam relinquit; ut, si prioris thori tres liberi sint, eorumque primo quadringenta, alteri trecenta & tertio ducenta reliquit, totidem solum- modo, quot postremo huic, relinque- re valeat marito, *l. Hæc Edictali cit. pr. V. Sin autem, §. l. Cum aperitissimè 10. pr. C. hæc Rubr.* Quod providè constitu- tum est; ne infano novi conjugis amo- re capta, *vg. mulier, plerasque facul- tates in*



fates in eum effundat, Glossa in l. Hæc Edictali cit. V. Dividi, Alexand. de Nevo in c. fin. cit. n. 8. & cit. Sanchez disp. 33. n. 3.

34. Tertio, mater, primis nuptiis dissolutis, secundas etiam post annum luctus iniens amittit liberorum tutelam, l. Matres 2. Auth. Sacramenta C. Rubr. cit. & l. fin. C. Quando mulier offic. tut. & curatellam, arg. l. Quod si nolit 31. §. 14. ff. de Adilit. Edict. ut ea, etiam novò marito mortuò, non recuperetur, Salycet. in Auth. cit. n. 5. Tiraquell. de Cessante causa limit. 12. à n. 8. & Perez in l. Quando mul. off. tut. n. 3. Eadem, si ad secunda vota, insuper habità eorum renuntiatione, transferit: & nec iudice aditò, filiis tutorem dari petierit, nec susceptæ tutelæ reddiderit rationē, ex eaque debitum omne exsoluerit, incidit in omnes pœnas, Jure impositas mulieribus, nubentibus intra annum luctus, Auth. Iisdem, C. hæc Rubr. & Novell. 22. cap. 40. V. Ideoque, Salycet. in Auth. cit. in fine & cit. Sanchez n. 13.

35. Quarto, licet pupillorum educatio nulli magis quam matri committenda sit, vitricò tamen novis nuptiis superinductò, ab ea separati apud aliam personam sunt educandi, l. 1. C. Ubi pupill. educ. deb. & Novell. cit. cap. 38. Nisi matri, etiam novo viro copulatæ, educationem loci statutum aut mores permitant, Perez in C. cit. Rubr. n. 5. Bruneman. in l. 1. cit. n. 7.

36. Quintò, vidua ipsò ad secundas, inferioris conditionis, nuptias transitu amittit ad hunc usq; retenta privilegia honoris & immunitatis mariti prioris, l. fin. C. de Bonis matern. & l. Filii 22. §. 1. ff. ad Municip. quòd non amplius sub priori, sed sub superinducto conjugio tenetur, Tiraquell. de Nobilit. cap. 18. n. 9. & cit. Sanchez n. 31.

Has & quasdam alias nuptiarum, etiam post luctus annum, iteratarum pœnas Jure Canonico sublatas, in c. Ecclesia 10. de Constitut. rati sunt Panormit. n. 15. Felinus n. 56. declarat. 1. & Decius n. 125. quòd conjugia ineundi facultatem, quam c. Super 4. & c. fin. cit. Jus expeditam esse voluit, eâ, quam intentant, jacturæ cominatione infringant. Sed hoc leve est; quia memoratæ pœnæ, si accuratius ponderentur, ex primario fine & Legislatorum intentione non secundarum nuptiarum odiò inductæ: & licet ita nominentur, propriè tamen non sunt pœnæ, sed legales quædam Jurique & Æquitati naturali maximè consentaneæ dispositiones, providentes indemnitati & incolumitati liberorum thori prioris, quibus iteratæ matrum nuptiæ damnosæ & infausatæ esse solent. Accedit; quòd viduam non, ut pœnæ propriè dictæ, privent bonis propriis & quæsitis absolute, sed solummodo lucrò, ex mariti facultatibus proveniente, eaque conditione delatò; ut reserretur liberis, susceptis ex marito defuncto, cujus laboribus id est partum: & non convertatur in utilitatem vitrici, istiusque liberorum.

Quare meliori ratione & multò frequentiori Interpp. ac DD. calculò mulierem binubam relatis pœnis in utroque foro obnoxiam esse, rectius defendunt Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 9. n. 5. Sarmiento Lib. 1. Select. cap. & n. 4. Guttierrez de Matrim. cap. 108. à n. 21. Sanchez cit. disp. 88. n. 39. Oliva de Foro Eccles. p. 1. q. 43. n. 22. Haulnold. Tom. 1. de l. & l. Trah. 4. n. 504. & Barbosa in c. fin. cit. n. 3. quòd legibus, pœnas illas inducentibus, ullo textu Canonico non sit derogatum. Imò, l. Matres cit. constituta tutelæ amissio c. Ex parte 67. de Appellat. approbata sit à Gregorio IX. illam à matre binuba amittam, aper-

G g g 2

sam, aper-



fam, apertè supponente, ut *ibi* præter alios notant Barbofa & Gonzalez uterque *n. 3.* Cateris autem legibus ac pœnis relatis derogandum, non suaserit ulla ratio; cum ratione nitantur iustissimâ, & à legitima potestate sint constitutæ: dumque consulunt liberis, secunda matrum vota non damnent aut plectant proprii patrimonii ademptione, sed solummodo lucra, sub conditione delata, negent.

38. Posterioris generis, sive in secundarum nuptiarum, à vidua intra annum luctûs initarum, odium quinque pœnæ Civili Jure proditæ sunt. Prima est infamia, *l. 1. l. Liberos 11 ff. § l. Decretò 15. C. de His, qui infam. not.* quam illa præmaturè ad nuptias convolans, & vir eam ducens, ipso Jure contrahunt, *l. 1. C. hæc Rubr. § Novell. cit. cap. 22.* Neque interest; quòd mulier ex viro defuncto conceptam prolem ante nuptias illas in lucem ediderit; quia nihilominus elugete debet maritum, ob cuius memoriâ & reverentiam quoque, non ob solam sanguinis turbationem, luctui annus est definitus, Perez in *C. Rubr. cit. n. 3.*

39. Secunda, plus tertiâ parte bonorum titulò dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre nequit, *l. 1. C. Rubr. cit.* Unde iste, licet hæres ex asse institutus ab uxore sit, bonorum partem solummodo tertiam consequetur; reliquæ hæredibus legitimis sive ab intestato venientibus addicentur; ut ad eò hõc casu uxor partim testata, partim intestata decedat; ut *in l. 1. cit.* cum Bartolo *n. 1.* Baldòque *n. 10.* notat Bruneman, *n. 11.*

40. Tertia, festinatis illis nuptiis mulier incapax redditur cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi & donationis mortis causâ ab alio quàm à viro assequendæ, *l. 1. cit. V. Omnium, § cit. cap. 21.* ut proinde, quidquid ei fuerit relictum, id vel hæredibus scriptis vel cohæredi-

bus, vel ab intestato venientibus sit applicandum. Scriptis sive testamentariis hæredibus, si ei quidpiam sit legatum vel mortis causâ donatum. Cohæredibus, si mulieri, hæredibus institutæ, additi sint cohæredes. Ab intestato venientibus, si ea ex asse fuit instituta, *l. cit. V. Hac namque, Glossa in l. 1. cit. V. Relictorum, & alii apud cit. Sanchez disp. 87. n. 7.*

Quarta, eadem amittit omnia, à 41. priori viro titulò hæreditatis, legati, fideicommissi, donationis mortis causâ, vel propter nuptias sibi relicta, *l. 1. cit. V. Hæc etiam § l. Si qua 2. C. hæc Rubr.* quæ viti illius consanguineis, primò & secundò gradu conjunctis, secundum modum succedendi ab intestato, addicuntur, hisque deficientibus, fisco cedunt, *V. cit. ubi Glossa V. Supreme, & alii apud cit. Sanchez num. 10.*

Quinta, eadem ab intestato non succedit consanguineis suis ultra tertium gradum, *l. 1. cit. V. Eadem;* ac proinde nec filio fratris; quòd ei quartò gradu conjuncta sit secundum Juris Civilis computationem, quæ in Civilibus & successioneibus observatur, *can. Ad sedem 35. q. 1. Bald. in l. 1. cit. n. 8. & Decius n. 20.*

De pœnarum hætenus relatarum 43. quinario dubium & ingens controversia inter DD, magnò numerò in utramque partem militantes est, an ei locus sit de Jure Canonico. Et infamiam quidem à vidua præmaturè nubente, & à viro eam intra luctûs annum ducente, Jure isto non incurri, liquet ex *c. Super illa 4. § c. fin.* quò textu utroque leges Imperiales, eam statuentes, à SS, Pontificibus, Urbano & Innocentio utroque ejus nominis III. correctas, iisque inductam infamiam notam in Seculari etiam foro non observandam, Orthodoxorum DD. plerorumque unanimis est sensus; quòd, ut *c. fin. cit.* Innocentius ait, *In his, Spiritualibus & animæ periculum*



periculum coſequentibus cauſis, ut fidelium nuptiæ etiam ſecundæ ſunt, *Seculares Leges, & iudices, non dedignentur ſacros Canones imitari.*

44. Diſſenſio autem inter eos eſt de reliquis pœnis; eas enim *cc. cit.* non ſublataſ, & à muliere intra annum luſtûs nubente hæreditates, legata, fidei commiſſa & mortis cauſâ donationes hodiæque amitti, cum Cyno *in l. 1. cit. in fine* & Baldo *n. 7.* ſuſtinent Scipio Gentiliſ *de Secundis nupt. cap. 18.* Mancinus *Lib. 2. Genial. cap. 140.* Oliva *cit. p. 1. q. 42. n. 10.* & *33.* & Barboſa *in Addit. ad c. ſin. cit. n. 1.* Movenitur primò; quòd diſtæ leges iſſque proditæ pœnæ omnes conſentaneæ ſint decretis Conciliorum, Neo-Cæſareenſis relati *can. De bis 31. q. 1.* & Leodienſis *can. 1.* iteratò nubentibus pœnitentiam imponi præcipientium. Secundò; quòd eadẽ conſonæ ſint rationi naturali, honeſtati publicæ & Apoſtolico conſilio. Rationi; quia ad turbationem conſuſionẽque ſanguinis & patris incertitudinem tollendâ tendunt. Honeſtati; quia feſtinatæ nuptiæ mulierem ſuſpectam faciunt de incontinentia, & ante tempus admiſſa cogitatione futurarum nuptiarum: de oblivione, irreverentia & ingratitude in priorem maritum, ut explicat Gonzalez *in c. ſin. n. 3.* Conſilio Apoſtoli, viduitatem apertè ſuadentis; cum de vidua, *Beatior,* inquit, *eſt, ſi ſic in viduitate permanſerit ſecundùm conſilium meum 1. Cotinth. cap. 7. v. 40.* ad quod amplectendum lucrorum, tanquam continentæ præmiũ, ſpe invitant. Tertio; quòd ex una, *cc. cit.* textus uterque expreſſam infamiæ, nullam verò mentionem faciat alterius, & præſertim amiſſionis lucrorum pœnæ; ac proinde utriusque diſpoſitio ad hanc aliãque ſimiles pœnas non ſit extendenda; cum, quòd caſus omniſus relinqui cenſeatur ſub diſpoſitio-

ne Juris antiqui, *arg. l. Præcipimus 32. in fine c. de Appellat.* præſertim, ſi notabilis ſit materia, de qua agit lex; *Ea enim,* inquit, *JCT. 2. que notabiliter ſunt, niſi ſpecialiter noſentur, videntur quaſi neglecta, & l. Item apud 15. §. 26. ff. de Injuria 2* tum verò; quòd correctoria ſit Juris Civilis; ac proinde impatiens extenſionis ad non expreſſa, ob ſolam identitatem rationis, *arg. l. Præcipimus cit. c. Cum expediat 29. de Elect. & Reg. Que à Jure 28. in 6. ut Lib. 1. tit. 2. num. 135.* eſt dictum.

Nihilominus alii DD. à *cit. Covar. 45.* *ruvia cap. 3. §. 9. n. 5.* Gutierrez *de Matrim. cap. 108. n. 3.* Sanchez *diſp. 87. n. 23.* & Gonzalez *n. 9. in fine,* maximò numero congeſti, cū infamia cæteras quoque pœnas *c. Super c. ſin. cit.* ſublataſ; ac proinde, à mulieribus, intra annum luſtûs nubentibus, hodie eas non incurri, defendunt. Rationem tergeminaſ ipſi quoque reddunt. Primò; quia *cc. cit.* diſpoſitio 46. principalis eſt; quòd, cum ſecundæ nuptiæ propter Apoſtoli permiſſionem & Eccleſiæ approbationem vacent culpâ, & matrimonia debeant eſſe libera, infamiæ, iſtorum libertatem impediẽtis, pœna legalis debeat ceſſare. Quæ ratio cum ſicut huic, ita cæteris quoque pœnis obſtet, *cc. cit.* diſpoſitione hæ non minùs, quàm illa, ſublata, eaque comprehenſæ merito cenſentur, per tradita ab Everardo *Legal. arg. locò 79. n. 20.* Secundò; quòd mulieribus viduis propter ſexûs fragilitatem eique facilè prævalentem libidinis vim ad gravia peccata & animæ pericula vitanda ſæpe utilis & prope neceſſarius ſit tranſitus ad ſecundas nuptias: quem ut expeditiorem redderet, Eccleſia, *cc. cit.* ſuſtulit ejus impedimenta: cujuſmodi cum, ſicut infamia, ſic etiam incapacitas hæreditatis, legati &c. amiſſio ſibi relictorum à marito &c. ſint, hæ cum infamia ſub-



nia sublata cenferi debent. Tertio; quod in matrimonio, sicut primo, sic etiam secundo, cum Sacramento & res spiritualis sit, Ecclesie potius, quam Imperialium constitutionum dispositio sit attendenda, per textum & Glossam *c. fin. ibi In his præsertim &c.* ac proinde, cum secundas nuptias Ecclesia cum Apostolo *c. Super cit.* aliisque locis, *n. 1.* relatis, licitas & expeditas esse voluerit *c. fin. cit.* cessare cum infamia necesse sit cæteras poenas, secundarum nuptiarum odio constitutas; quod matrimonii libertatem non minus quam infamia lædant.

Neque aliud evincunt allata in contrarium. Primum; quia allegatis Conciliis iteratò nubentibus poenitentia decernitur, non; quod ejusmodi nuptiæ illicitæ sint & peccaminosæ: sed propter peccata antecedentia & concupiscentiam nimiamque intemperantiam, cujus indicia sunt & justam suspensionem præbent, ut in *can. de His cit. Barbosa n. 4. & Gonzalez in c. fin. cit. n. 13.* observant.

Secundum; quia, esto ex una parte leges Civiles ex fine suo honestæ sint: ex altera tamen, non consulunt salutem mu-

lierum, quibus eæ non rarò sunt occasio fornicationis, Canisius *in c. fin. cit. n. 2. in fine:* & impediunt libertatem matrimonii, permitti & approbati ab Ecclesia: cujus, non Secularis potestatis, est inducere impedimenta matrimoniorum, Gonzalez *l. cit. n. 8.*

Tertium; quia licet *cc. cit.* reliquæ 47. poenæ, sicut infamia, specificè non exprimentur, non obscurè tamen comprehenduntur eorum dispositione, ad secunda vota transeundi liberam facultatem concedente & jam antè concessam confirman- te remotione poenarum, quibus ea ineundi libertas constringebatur. Confirmatur; quia ex communi doctrina multorum, lege etiam correctoriâ casus specificè non expressos comprehendit docentium, quando in his militans ratio illà est expressa: quam doctrinam cum Glossa *in Clement. 1. V. Eligatur, de Eleb. Jalon in Auth. Quas adiones, c. de SS. Ecclesiis n. 22.* aliisque tradunt Covarruvias *in c. Alma p. 2. s. 4. n. 7. Gomez Tom. 2. Variar. cap. 5. n. 11. Gutierrez Can. 2. Lib. 1. cap. 10. n. 3. & Everardus l. cit.*

## Libri IV. Institutionum Canoniarum FINIS.

